



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 257/16

DECRETUM

Resurrectionis dominicae primam testem et evangelistam, Sanctam Mariam Magdalenam, semper Ecclesia sive Occidentalis sive Orientalis, summa cum reverentia consideravit, etsi diversimode coluit.

Nostris vero temporibus cum Ecclesia vocata sit ad impensius consulendum de mulieris dignitate, de nova Evangelizatione ac de amplitudine mysterii divinae misericordiae bonum visum est ut etiam exemplum Sanctae Mariae Magdalene aptius fidelibus proponatur. Haec enim mulier agnita ut dilectrix Christi et a Christo plurimum dilecta, “testis divinae misericordiae” a Sancto Gregorio Magno, et “apostolorum apostola” a Sancto Thoma de Aquino appellata, a christifidelibus huius temporis deprehendi potest ut paradigma ministerii mulierum in Ecclesia.

Ideo Summus Pontifex Franciscus statuit celebrationem Sanctae Mariae Magdalene Calendario Romano generali posthac inscribendam esse gradu *festi* loco memoriae, sicut nunc habetur.

Novus celebrationis gradus nullam secumfert variationem circa diem, quo ipsa celebratio peragenda est, quoad textus sive Missalis sive Liturgiae Horarum adhibendos, videlicet:

- a) dies celebrationis Sanctae Mariae Magdalene dicatus idem manet, prout in Calendario Romano invenitur, nempe 22 Iulii;
- b) textus in Missa et Officio Divino adhibendi, iidem manent, qui in Missali et in Liturgia Horarum statuto die inveniuntur, addita tamen in Missali Praefatione propria, huic decreto adnexa. Curae autem erit Coetuum Episcoporum textum Praefationis vertere in linguam vernaculam, ita ut, praevia Apostolicae Sedis recognitione adhiberi valeat, quae tempore dato in proximam reimpressionem proprii Missalis Romani inseretur.

Ubi Sancta Maria Magdalena, ad normam iuris particularis, die vel gradu diverso rite celebratur, et in posterum eodem die ac gradu quo antea celebrabitur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 3 mensis Iunii, in sollemnitate Sacratissimi Cordis Iesu.

Robertus Card. Sarah

Robert Card. Sarah
Praefectus

+ Arturus Roche
✠ Arturus Roche
Archiepiscopus a Secretis



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Adnexum

Præfatio: de apostolorum apostola

Vere dignum et iustum est,
æquum et salutare,
nos te, Pater omnipotens,
cuius non minor est misericordia quam potestas,
in omnibus praedicare per Christum Dominum nostrum.

Qui in hortu manifestus apparuit Mariæ Magdalénæ,
quippe quae eum diléxerat viventem,
in cruce viderat morientem,
quæsierat in sepulcro iacentem,
ac prima adoráverat a mortuis resurgentem,
et eam apostolatus officio coram apóstolis honoravit
ut bonum novæ vitae nuntium
ad mundi fines perveniret.

Unde et nos, Domine, cum Angelis et Sanctis universis
tibi confitemur, in exultatione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth...